



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni


Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XIII. In Domin. Sexagesimæ, Quod autem cecidit in ter[r]]am bonam hi sunt, qui in cordo bono & optimo audientes Verbum retinent & ferunt fructum in patientia. Luc. 8. Arg. Anatomia boni cordis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)



CONCIO XIII.

IN DOMINICA SEXAGESIMÆ

Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes Verbum retinent, & ferunt fructum in patientia. Luc. 8.

ARGUMENTUM;

Anatomia boni cordis.



Oncio jam finita Aud; nec aliud prope coronidis loco adjicere valeo, quâ fiat, amen. Alia Evangelia in interpretatione indigent, & sensum quâ Allegoricum, quâ Anagogicum, quam Tropologicum admittunt; at verò hodiernum expositionem vix patitur, æternâ illud Sapientiâ planissimè enucleante. Ipse enim sub semine Verbum suum; sub terra trita, & advia, præcordia ad exteriora effusa; sub saxosa, impatientia & præfracta; sub spinosa, homines mundo divitiis, ac deliciis mancipatos, sub bona verò illos; qui in corde bono, & optimo audientes, verbum retinent, & ferunt fructum in patientia, intelligendos esse docuit. Quod ergo jam per semet veritas æterna interpretata est, id humana fragilitas discutere frustra præsumit.

Nihilominus cum hæc ipsa elucidatio subobscura sit, nec cuivis interior ejus nucleus etiâ excussò jam cortice

apertus, ego minima ipsius, quæ super sunt tegumenta detraham, & cor bonum, ac optimum pro recipiendo divino semine requisitum, nudum omnino, ac apertum spectandum dabo. Faxit D. O. M. quatenus verba mea cedant, ad Verbi divini suaviorem gustum excitandum, atque ad seminis hujus cælestis ampliora fructuum incrementa demetenda.

Partitio.

II. Seraphicus Doctor D. Bonaventura explanando hodiernum Evangelium animadvertit in singulis verbis Domini singularem vim, ac energiam, ad boni cordis attributa manifestanda latere; ita ut quot verba cælestis Magister protulerit, totidem conditiones ejus explanaverit: Sic enim scribit Boni auditores Verbi divini, *Verbum divinum quomodo audiendum.* *Verbum recipiunt in corde bono, quoad cognoscentem potentiam, id est in bono intellectu; & in corde optimo, id est quoad affectivam, hoc est in bono affectu.* *Retinent* S. Bon. inc. 18. S. Luca

Retinent autem audientes quoad memorativam, & fructum afferunt in patientia, quoad passionem supportativam.

Ex cuius mente colligimus Dominum omnes vires corporis, & animi requirere ad Verbi sui debitam perceptionem, ne semen tam pretiosum piissimi Satoris incassum profundatur; illosque solos inveniri perfectos Verbi divini auditores, qui optimâ ad id voluntate accedunt, intellectu percipiunt, memoriâ retinent, re ipsa exequuntur. Et reverâ si quidpiam horum defuerit semina Evangelicum exoptatum fructum nunquam egerminabit.

§ I.

Verbum Dei audiendum cum pia affectione.

*Verbum
dicitur cum
bona vo-
luntate au-
diendum*

*Ter. 4. 2.
Ose. 10. 12*

III. De optima voluntatis dispositione jam pridem per Jeremiam Vatem, & Oseam sub allegoria campi exhortatus est nos Dominus dicens: *Novate vobis novale, & nolite serere inter spinas.* Hoc est, ut communis fert interpretatio: subigite per verbas animi inclinationes, expurgate animum à sentibus, & tribulis vitiorum, extirpate irradicatos pravæ consuetudinis habitus, quatenus sementem optimum Verbi suscipere, & ad frugem meliorem redire valeatis. *Novate vobis novale.* Cujus animus ærumnis hujus mundi, aut etiam sceleribus mancipatus est, is ad sermonem Altissimi concipiendum, & fructum faciendum

omnino sterilis esse reputatur. Quamdiu inordinatus quispiam affectus in corde fixus manserit, tamdiu perinde ac in agro inculto, sentibusque, ac tribulis obsito, nulla spes fructus, emendationis, timoris Domini affulgebit. Conferat se quispiam ad agrum ejusmodi, faciat sementem auream, nanciscatur ad votum cœlestes influentias quid quæso insuper, præter zizania, ac steriles metet avenas? Suppar omnino telluris nostræ conditio, animæ, inquam lenticosæ, ac depravatæ. Si eam voluntas ipsius pervicax sit; certisque obnoxia criminibus; si mancipata suis distortis propensionibus; optimum semen verbi Dei, ceu reprobus ager, in degener lolium convertet; quavis se satyrâ perstrictum ominabitur, locò correctionis in rabiem contra Ecclesiasten exardescet, locò profectus se ab ejus exedra subducat, livorem nutriet, calumniabitur. *Novate vobis novale.*

At verò si ager elementaris altius proscindatur, impigrè expurgetur, appositè reformetur; & ager cordis, piæ voluntatis desiderio, fuerit ritè dispositus, aratro contritionis proscissus, simò humilitatis fœcondatus; & hic, & ille fructum feret trigessimum, sexagesimum, centesimum; ipse prava aliorum consortia averfabitur, virtutes inseret, inferras custodiet, indies ad crementa frugum justitiæ sumenda eniteretur.

IV. Id ipsum sub tropo inocationis S. Jacobus Apostolus in Catholica sua inculcat, dicens: *Abjicientes*

*Pœccator
obstinatus
Ager sterilis*

Iac. 1. 21.

Oecum. Be-
da b l.

cientes omnem immunditiam, & abundantiam malitia in mansuetudine suscipite insitum Verbum. Id est, interprete Oecumenio, & Beda exuite peccandi consuetudinem, pertinetiam, conceptum, ac destinatum malevolentia propositum, quatenus digni sitis suscipere Verbum divinum. Prius odia, ac rancores mittite, & tum ad sacras exhortationes accedite; prius cor preparate, & tam aures arrigite. Nequit ramus inseri, atque inoculari, nisi alii silvestres fuerint præcisi: ita nisi circumcisa fuerit anima, ac vitiorum stolones resecti. Verbum Dei fructuosè implantari non poterit. Ut surculus firmius agglutinetur, finditur ramus ad intimas usque medullas: suppari ratione findenda est anima ad cor usque, per veram contritionem, divisionem, ac alienationem ab omni eo, quod Deo contrarium, quatenus Verbum Dei & in eo Christus ipse inseri, inoculari, & (ut ita dicam) inviscerari queat. Ubi stipes fuerit præcisa silvestris, quæ prius aut omnino sterilis extitit, aut non nisi fructum acerbissimum produxit, per inoculationem progerminat, & enititur poma dulcia, ac sapida: ita anima à cupiditatibus luxuriantibus præcisa, quæ prius opera non nisi gulæ, luxuriæ, iræ, avaritiæ, pullulabat; per insitionem Verbi, ac Gratiæ divinæ protulerat fructus suavissimos sobrietatis, castitatis, humilitatis &c. Propter quod abscientes omnem immunditiam. &c.

V. Loculentissime verò, & citra

tropum ullum Assertor noster idem nos edocuit, quando stupentibus Judæis, & non intelligentibus profunda sacrosancti illius Eloquii mysteria ait: *Si quis voluerit voluntatem eius (id est Patris) facere cognoscet doctrinam meam.* q. d. Nisi probam, ac pronam quis attulerit voluntatem, ea exequendi, quæ Pater meus cœlestis intenderit; incassum auscultabit, nec assequetur sensum, multoque minus fructum feret. *Si quis volueris* &c. Quantumvis enim præfactus quisque audire queat, memoriâ retinere, de verbo ad verbum concionem integram decurrere; si tamen permanserit in inveterata peccandi consuetudine, actum est de semine, non exorietur in tali agro, multoque minus in spicas ipsi adolescet, aut in frugem virtutum maturescet. *Si quis voluerit* &c. Perversus enim animus, quum caligine vitiorum obfuscatus sit, rectum, verumque corrumpit iudicium, & ne lux veritatis in mente ejus diffundatur, nubem scelerum interponit. Quisquis autem bene divinis imperiis affectus est, is & radios illius innubi oculo excipiet, & quæ abstrusa sunt aliis, ut plana comprehendet.

§. II.

Verbum divinum exposcit attentionem, & intelligentiam,

VI. Ubi voluntas sic disposita fuerit

erit, ibi procul omni dubio, aderit etiam attentio ad ea, quæ dicuntur, idque non ut verba aliqua capiantur auribus verum multò amplius ut sensus, & spiritus imbibatur animis.

Huc collimasse S. Gregorio Dominus videtur, in hodierno exclamans Evangelio: *Qui habet aures audiendi audiat.* Omnes enim quotquot præsentés aderant, corporis aures habebant; quorsum ergo egurgitat Dominus: *Qui habet aures audiendi audiat:* nisi quod non omnes aure debita auscultent. Audiatur præfatus Doctor ipse: *Qui cunctis aures habentibus dicit: (si quis aures audiendi habet) audiat, aures procul dubio cordis requirit.* Sunt enim plerique, qui magis personæ dicentis afficiantur, quam doctrinæ; illi fatius, quam huic intendant. Isti sibi revocent, etiam per os asinæ DEUM vaticinatum; etiam per corvum Eliæ, & Paulo Eremitæ in deserto non minus lapidum, atque per angelos Israelitis panem suffecisse, etiam ex mandibula asini fontem eduxisse; atque per Baal, aliosque fulminandos Numen oracula sua protulisse. Norint, quod affricanus scribit, Concionatorem cophinum esse seminatis, nec attendendum ad vilitatem cophini, sed ad claritatem seminis, & potestatem seminatis.

Alii in Ecclesiasta solam phrasim, vim, & energiam dictionis, assumen ingenii ad censuram vocant. Horum è numero erant Athenienses,

apud quos, quum clarissima illa Evangelii tuba Paulus Apostolus detinaret; è quod modicum de suadæ Atticæ leporibus admisceret, ac veritatem semotis umbris, ac parengis proferret, homo rudis, ac illiteratus illico est proclamatus. *Quid inquit vult hic semiverbius dicere?* S. Augustinus legit: *Seminatis verborum.* q. d. *Quid hic quærit garrulus iste, qui nihil præter verba effudit, & ad quæstum loquitur?* Ecce quales hi Auditores fuerunt, quale iudicium de tanto viro formarunt, quum tamen altissimum incorporati Filii Dei, & de morte triumphantis mysterium versasset.

VII. Eiusmodi S. Antonius de Padua confert Bombicibus, magis tinnitui, quam tonitruum intendentibus. Sicut, inquit in locis ubi tericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deterriti moriantur, tympana, & alia instrumenta musica pulsantur; quò vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitruum recipiant; sic diabolus cum tonitrua divinorum iudiciorum, & pœnarum intus in conscientia, vel exterius in auribus peccatorum personant, ne quampiam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, ludos, formas femininarum, vel quidpiam simile peccatoribus proponit, ne fortè percellantur, ac convertantur. Ne mirum ita attendant ad tonitruum Verbi Altissimi, ut in aure ipsorum resonet, quam ad tympana, & pom-

In Ecclesiasta non verba capiendos

Act. 17. 18.

Peccator simulis Bombyci

S. Antonis.

S. Greg. h. 15. in Evang.

S. Aug. h. 20. ex 50.

pam phaleratarum dictionum eorum aures titillantia.

Alii demum sunt, qui quidē audiunt verbum Dei, sed oscitanter citra attentionem, nullā intellectus applicatione alia totō cōlō diversa ab iis, quæ dicuntur, eō articulō, animō versantes. Apud ejusmodi semen cadit sesus viam, & conculcatur, & volucres cœli comedunt illud, seu diabolus aufert à corde ipsorum.

VIII. Res consideratione dignissima, quod Christo Domino in cruce suffixo, etiam ex iis, qui prope aderant; & verbum divinum, quasi in pulpito crucis expansum legebant, non omnes pariter affecti. Inveni enim erant, qui illud despuerent, & exsibillarent, dicentes: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reedificas illud, salvum fac te ipsum, & nos. Et si Filius Dei est descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Nonnulli verò perperam verba ipsius interpretabantur, Eliam pro Eli accipientes. Alii tamen tundebant pectora sua dicentes: *Verè Filius Dei erat iste.* Unde quæso tanta spectatorum, ac auditorum dissonantia? Eundem Christum aspectabant, idem Verbum vibicibus exaratum legebant, eandem patientiam considerabant, eadem miracula notabant, Et tamen hi intelligunt, illi non item; hi percipiunt pectus illi nurant capite, hi profitentur illi sublannant. Unde ajo tanta in iis discrepantia?

Resolutio ex Evangelio desumitur,

quod Centurio, & alii, qui eidem concinnebant, adversum stabant serido, ac sanctè expedientes ipsius mansuetudinem, patientiam, charitatem, & quæcunque prodigiosè eveniebant. Alii autem, qui Christum sugillabant, aliò mentem avocabant, nec stabant, sed circumibant: *Prætereuntes blasphemabant eum.* Jam ille, jam iste accessit inspecturus Christum, & illico sese avertebat, atque ad alia reflectebat. Si paululum constitissent, si attentius vulnera ipsius observassent, si audissent, ut oraret pro inimicis; si vidissent, ut rupes sinderentur, ut terra motibus quateretur insolitis, ut oculus cœli caligine obduceretur, ut tota creatura illi compateretur, ac parentaret, conversi fuissent & ipsi ad pœnitentiam, eandemque professionem edidissent.

Quod si etiamnum quispiam alter miretur, quid causæ sit, quod tam exiguus fructus respondeat, tam incensis, ac intensis allocutionibus? Ajo non aliam esse, quam quod sint prætereuntes, aliò mentem deflectant, nulli rei minus, quam Verbo divino vacent.

Hæc meritiò inclamat Dominus in præsentī Evangelio: *Qui habet aures audiendi audiat.* Audiat, & imbibat, non, verba duntaxat, sed spiritum; audiat non ut suat verba hominum, sed ut verè sunt verba dei, audiant, non quæ aures titillent, sed quæ corda sauciant. *Qui habet aures audiendi audiat, ne sit unus ex illis, de quibus Dominus:*

Vi.

Christi confixi effectus vari; unde Matth. 27. v. 40. Marci 15. v. 30.

Matth. 27. v. 54.

Marci 15. v. 29.

Videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.

§. III.

Verbum Dei in thesauro memoria recondendum.

Verbum
Dei mente
reconden-
dum

IX. Aliam insuper conditionem boni cordis tangit Dominus, quando adjicit, *retinent*, nimirum ut S. Bonaventura interpretatur per potentiam memorativam. Non enim qualiscunque attentio, aut intelligentia sufficit, sed requiritur continuata meditatio, seu quæpiam memoriæ fermentatio, ne fortè à volucris inferni semen subtrahatur.

Luc. 21. v.
28.

De hac conditione sentiunt nonnulli, loqui Dominum apud S. Lucam dicentem: *Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* q. d. Beati qui aure auscultant, & mente retinent, & opere exequuntur.

Verbum
Dei thesau-
rus

Prov. 21. 20.

X. in hujus confirmationem adducit D. Augustinus egregiam illam Spiritus S. sententiam; *Thesaurus desiderabilis acquiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum.* Quis enim hic thesaurus in ore, vel satius mente reconditus, nisi ille, cujus meminit Salvator: *simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Nisi ille, de quo Pfalter: *judicia, seu eloquia Domini, desiderabilia super aurum. & lapidem pretiosum multum.* Servatur autem in ore, quam in corde retinemus, ruminamus,

Matth. 13.

Psal. 118. v. 11

abscondimus. Unde Augustissimus Præsul: *Admonemus, inquit, charitatem vestram, ut ea qua audiendo, tanquam in ventre memoria conditis, rursus revolvendo, vel recogitando; quodammodo ruminetis.* Hoc est thesaurus requiescat in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum. q. d. Hæc est differentia inter virum stultum, ac sapientem, seu fidelem; quod iste Verbum Dei, ceu thesaurum, vel depositum Domini sui, fidelissimè custodiat, stultus autem, & infidelis dissipet eum, ac prostituat; quod ille verbum Dei ruminando cordi imprimat; hic aure unâ excipiat, alterâ emittat.

S. Aug. in P.
141. c. 4. 50
hom. 6. 45.

XI. Sub eadem depositi methaphora S. Paulus Apostolus suum Timotheum ad eandem curam adhortatur, ita scribens: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientia, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* q. d. serva tam accuratè Verbum divinum tibi communicatum, ac concredittam, ut ne quidem differendo de divinis rebus, nova quædam usurpes vocabula, quæ præferant quidpiam singulare, & exoticum. Quod in sequente Epistola sua sic planius evolvit. *Formam habe sanorum verborum, qua, à me accepisti in fide, & in delectione, in Christo IESU. Eonum depositum custodi, per Spiritum S. qui habitat in nobis.* Id est, non vulgari, non humanâ, aut mundanâ, quantumvis sollicitâ custodia servandum est hoc depositum; sed

1. Tim. 6.
v. 20.

2. Tim. 2.

o a spiri-

spirituali, sed divinâ, sed quali Spiritus ipse Sanctus illud custodit; nihil planè committendo, quod sit oppositum, nihil prorsus omittendo, quod sit appositum.

*Verbum
Dei depositum*

Depositum verò vocat, ut sciremus tantâ cura illud servandum, quantâ pretiosissimum quodpiam monile fidei nostræ concreditum. Tum etiam nos tanti criminis reos futuros, atque ad compensationem Domino obstrictos; si per incuriam nostram excidit, & ab Alastore a vernali surripi passi fuerimus; atque is, qui suâ negligentia depositum quodpiam eximium amittit.

Ex quo quisvis intra semet exigat, in quas angustias demum redigetur, qui suo defuerit officio, atque insuper habuerit illud? Quid enim æquale refundet perditio verbo Dei? Quid æquale reddet tot donis, & gratijs, quæ simul paratæ erunt, sese in eum infundere? Quid æquale rependet divino sanguini, qui pro illis fulus est charismatibus? Quid æquale divinæ gloriæ; quæ inde reduntatura erat? Quid æquale salutis, & æternitati, cuius perit bonum, Verbo intermoriens?

*Auditor
Verbi qualis
esse debet*

XII. Quod cum dico, non intendendo, ut quispiam, integram concionem memoriter, ceu pensa pueri addiscat, id enim plerisque impossibile. Verùm quatenus id præcipue notet, quod sibi commodum, vel

quod maxime collimat sacer Orationis, vel quod imprimis cor ipsius pupugit. Clarius edissero, ut volo, ut sitis apes, non tam flores asportantes, quam succum ipsum, virtutemque illorum exugentes. Id cupio, ut sitis convivæ, qui non omnia apposita abliguriunt; sed quod gustul imprimis arridet, mastificant, & ruminant. Id gestio, ut tanquam ex horro redeuntes flosculum quempiam domum reportentis, cujus odore vos subinde recreetis.

XIII. Hæc laus tribuitur illi Agnæ Genitrici, Agni Dei totius mundi crimina relaxantis. Agnæ ex qua Pastor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis dissutis. De ea enim testatur sacer Chronologus Lucas: *Conservabat omnia conferens in corde suo.* *Luc. 1.*

*Beata Virgo
Verbis divinis
tentata*

Hanc itidem laudem sibi vindicet Psaltes regius occinendo: *in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Id est menti meæ firmissimè impressi, ne unquam exciderent, & ex oblivione mandatorum tuorum, eadem fortè prævaricarentur. *Psal. 118.*

Hoc aliorum encomium, qui toti quanti suspensi pendent ab ore Ecclesiastæ, ut eligerent potius perdere vitam, quam Verbum Dei.

XIV. Ut verò syllabus horum exigus, ita ingens eorum, qui perinde

*Auditores
Verbi simili-
les vasa he-
deracei Pier.
hb. 52*

ac hederaceum vasculum solidorum, ac præcipuorum momentorum oblitiscuntur, minus utilia recondentes. De eo enim scribit Pierius, quod vinum defæcatum, & purum nullatenus retineat; & si infundatur vinum aquâ mixtum, aquam quidem conseruet, vinum per poros evaporare sinat. Eundem in modum si præco quispiam vinum purum Verbi divini infundere conetur auditoribus, non in humanis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, nec quicquam retinet; per unam aurem immittunt, per aliam emittunt. At si quidpiam de lymphâ humanæ sapientiæ, leporis, ingenii admixtum sit id fixissimè retinet.

Hî quicumque ii sunt, percellantur, ne tanquam servi desides, ac infideles in deposito servando castigentur, & quanto pretiosius fuerat depositum neglectum; tantò graviori pœnæ subjiciantur. Siquidem non minus rei habendi sunt, quam ii, qui noxa sua inæstimabile depositum amiserint.

§. IV.

Cor bonum fructificat.

XV. Postremò bonum cor illud est, quod fert fructum in patientia; hoc est interprete Doctore Seraphico, quod exequitur id quod audit à Domino, quoad potentiam operativam, & supportativam. Hinc denique finis est seminantis, fructum referte in messe. Hic sacri Oratoris persuadere,

quod dicit. Hic boni cordis, operari in Verbo, quod audit.

Bacchantium is stilius est in capro, aut moloſſo arare, & serere ob solam voluptatem publica in platea, aut occare in catellis, vel gallis. Et sideratorum Auditorum est ex semente Verbi divini nullum alium quærere fructum, præterquam solatium quodpiam aurium ac phrasium, conceptuumque vanitatem capta re.

XVI. Hac nomenclaturâ; etſi sub alio tropo eos donat Dominus apud S. Matthæum dicens: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram.* Sapientissimus ille Architectus est qui fundamentis firmissimis molem ædificii imponit, & ille auditor, qui suscipit Verbum Dei fide firma, ac fructificat in spe, & charitate. Nulla hos turbinum, aut tempestatum vis subruet, nulla subvertet Boreæ potentia, nulla temporum refringet diurnitas, subdit enim: *Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam Petram.*

At verò exadversum & Architectus stultissimus, qui supra arenam ædificium molitur, & auditor, qui non exequitur ea, quæ percipit. Et *omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui edificavit domum suam supra arenam.* Quippe minima exorta, aut ingruente tempestate

*Matth 7. v.
24.*

Ib. v. 25.

Ib. v. 26. 27.

pestate, seu tentatione corruer. Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

Luc. 1. 7. 17.

XVII. Conformia tradit S. Jacobus Apostolus, sub similitudine vitæ contemplantis sese in speculo, nec navos suos detergentis, aut cœlætiem concinnè componentis: *Si quis auditor est verbi, & non factor hic comparabitur viro, consideranti vultum nativitatæ suæ in speculo, consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* q. d. Quemadmodum stultus est, qui speculo, non eo, quo conditum est, sine utitur; ita & ille, qui Verbo divino abutitur.

Specula ad
quid inven-
ta Sen lib. 1.
nat. quest.
17.

XVIII. De Speculis refert Seneca præter alios, inventa esse, ut homo se cognosceret, & quod in vultu deesset, id morum honestate compensaret; quodve maculosum esset, detergeret.

Verbum Dei
speculum S. S.
Augustinus
Aug. ser. 112
de temp.

Jam vero quid aliud sacræ paginæ, quam speculum tersissimum, in quo homo faciem mentis suæ inspiciat, & quam conformis imagini Dei, vel quam dissimilis sit cognoscat. Ita speculum quoddam est anima, in eo videt immundus peccator immunditiam animæ suæ; & cum audit, aut legit lascivus, quanta sit luxurie immunditia, cognoscit. Ergo quemadmodum ille stultus est, qui incassum speculum contempletur; ita & qui verbum Dei ad sui emendationem & fructum non ad-

hibet. Uterque enim finem haudquaquam assequitur, & suppari procedendi methodo persimilem demonstrat vesaniam.

XIX. Refert Gotscalcus Rusti-^{Gotscalcus} cum quempiam Sorbonam Parisien-^{inh. Evang.} sem ingressum esse, & cum literatos illos proluxa cū altercatione discipulantes audisset, tandem victum tædio hanc ipsis quæstionem movisse. Quidnam obsecro Domini Doctores melius, ac perfectius est facere, quod scis, an discere multa, quæ ignoras? Ventilata illico à præsentibus quæstio, meliusque visum omnibus facere, quæ quis scit, quam addiscere, quæ nescit. Quod ut audit simplex ille colonus replicavit: Ergo sapientes nos simplices sumus, qui facimus ea, quæ didicimus, & vos stulti, atque insensati, ætatem in addiscendo teritis, nec ea, quæ didicistis unquam opere explere contenditis. Optima profecto illatio, & æternæ Veritatis conformis oraculo. *Qui enim audit verba Domini, & non facit, similis est viro stulto, qui adificavit domum suam supra arenam.*

Ne itaque eadem laboremus censura, immo ne profligatæ sementis rei inveniamur, admittamur est terra bona, seu suscipere Verbum Dei in corde bono, id est affectu bono, audiamus illud sedulo, & attentè, memoriâ teneamus, ac volvamus, opere compleamus.

XX. Revocemus nobis identidem casum

casum Pistoris, & Pincernæ Regis
 Ægyptiorum Pharaonis. Somniavit
 ille se tria canistra supra caput suum ha-
 bere, & in uno celsiore omnes cibos
 portare; *qua sunt arte pistoria, avesque
 comedentes ex eo.* Hic vero somniavit
 se botros in vinum exprimere, regique
 suo porrigere. Josephus ubi ea sibi
 somnia referre inaudiisset, Pin-
 cernæ libertatem, Pistori suspendium,
 haud vano Tripode auguratus est. *Tria
 canistra tres adhuc dies sunt, post quos au-
 feret Pharao caput tuum, ac lacerabunt
 volucres carnes tuas.* Quæro quid cau-
 sæ sit, quod hic candidum A. ille fu-
 nestum O. meritis sit; aut unde id
 Vates conjecerit? Non aliunde, quam
 quod Pistor cibos regios non in manu,
 sed in capite gestaverit, è contra ve-
 rò Pincerna in manu.

Umbra hæc processus de nobis for-

mandi est. Si nos panem vitæ, quò
 anima vivit, ac sustentatur in capite
 duntaxat versabimus, si volucris
 Tantaleis cor exposuerimus ditipien-
 dos, timendum plurimum, ne & nos
 suspendium Tænarium incurramus,
 ne nos illaqueet suis tentationibus sa-
 thanas, & ad furcam suam protrahat.

At verò si manu Borum versabi-
 mus, id est, si verba ex vite vera, Chri-
 sto, opere ipso comprobaverimus,
 confidendum, quod etsi per noxam
 quampiam ab eo divisi fuerimus, fa-
 cile in gratiam cum eodem redituros.

Id igitur faciamus, & suo tempore
 uberrimam messem in cœlestia nox in-
 vexisse horrea, triumphabimus. Quod
 nobis largiatur, qui cum Patre, &
 Spiritu S. vivit & regnat per sæcu-
 la Christus JESU Dominus
 noster. Amen.



P

CON-